

exscriberentur; sed id à me factum esse eo consilio, ut Wolffii methodus prolixa & verborosa appareat? Respondeo imo me multos §§. & hætenus præteruisse, & deinceps præteriturum, qui possent aliquo modo ad rem facere. R. 2do. Metuo potius ne D. Wolffius me incuset, omissos à me esse paragraphos intermedios, neu dicat, ea me præteruisse studio, sine quibus ulteriora intelligi non possent. R. 3tio. At ego si omnia ea intermedia describere debeo, statim Typographo totum Wolffii librum formis æneis hic exscribendum inserendumque locabo, aut Te lectorem jubebo totum Wolffii librum perlegere, ut intelligas, qua ratione eam quæstionem Wolffius expediat? Cave autem existimes, te ad sperata pertingere posse, si forte incipias in medio aut fine. \* Nam si incipias à §. 27. de Ignorantia, quem exscripsimus, nihil invenies à D. Wolffio de hac quæstione

\* Vide, quæ de hoc sentit Rothfischerus, infra in Conclusionem & fine hujus Diatribes.

stione pertractatum, sed prima forte lineamenta posita. Si incipias à §. 53. de Bonitate & malitia actionum, æque parum inde elicies: nisi forte ex his glabris lubricisque initiis velis ipse per te aliquid ratiocinari. At imprimis hoc te vetat D. Wolffius, ne forte aberres, neu ipsum parum intelligas, neve sis metaphysicæ Wolffianæ parum gnarus, tososque ejus libros non devoraveris. Deinde si ratiocinando ipse velis aut possis hanc quæstionem explanare, non opus tibi erat per hos Wolffii labyrinthos propelli.

Ergo cum nihil sit amplius, quod ex D. Thoma de hac quæstione ex latere adponamus, ne charta otiose impallescat, deinceps solus Wolffius occupabit campum: Et pergam ego exscribere paragraphos, si forte possibile erit pervenire ad unum ex paragraphis 785. hujus libri, unde statui possit, num ignorantia causet, augeat, minuatve peccatum?

E

A para-

*A paragrapho igitur 56. D. Wolffius exponit multa de actione in se bona aut mala. Tum §. 64. incipit ex abrupto decernere quæ sit actio recta. §. 70. Ait, ex quibus rebus constet Considerandum, actio humana ordine præpostero, nam prius videtur esse quæ sit actio humana, post, quæ recta. §. 82. Desinit Syllogismum definitivum. §. 88. ait. Determinatio voluntatis & noluntatis ab intellectu dependet. Et mox §. 89. subdit: Rectitudo actionis humane quoad voluntatem & noluntatem à rectitudine ejusdem quoad intellectum dependet.*

*Sperabam in hoc paragrapho sententiam fore decretoriam, eamque clariorem & faciliorem adeoque magis methodicam sententia D. Thomæ. Num spe potitus fuerim, tute judica; tui enim causa, qui forte methodo Wolffiana delectaris, totum paragraphum describo, non sine stomacho, fateor, meo.*

## §. 89.

*Rectitudo actionis humane quoad voluntatem & noluntatem à rectitudine ejusdem quoad intellectum dependet.*

Ad rectitudinem actionis quoad voluntatem requiritur, ut actio, in quam fertur voluntas determinetur per ipsam bonitatem actionis, non vero per rationes, ob quas bonum verum repræsentatur tanquam apparens (§. 80.) Supponit adeo rectitudo actionis humane quoad voluntatem, actionis, cujus in dato casu patrandæ occasio offertur, notionem sufficienter determinatam, sine qua qualis sit, intelligi nequit, & judicium verum, quod sic determinata bona fit (§. 891. *Psychol. empir.*) Enimvero notio actionis, cujus in dato casu patrandæ occasio offertur, notionem sufficienter determinatam, sine qua qualis sit, intelligi nequit, & judicium verum, quod sic determinata bona fit (§. 891. *Psych. empir.*) Enimvero notio actionis, cujus in dato casu patrandæ occasio offertur, sufficienter determinata, & judicium verum de actionis bonitate ad rectitudinem actionis requiritur quoad intellectum (§. 80. 72.) Per ea igitur, quæ insunt rectitudini actionis quoad intellectum, intelligitur, cur

ea

ea adsint quoad voluntatem, quæ ad eandem faciunt, consequenter ratio rectitudinis actionis quoad voluntatem continetur in rectitudine quoad intellectum (§. 56. *Ontol.*) Quamobrem rectitudo actionis quoad voluntatem dependet a rectitudine ejusdem quoad intellectum (§. 851. *Ontol.*) Quod erat unum.

Similiter ad rectitudinem actionis quoad noluntatem requiritur, ut actio, quam fugit, sit mala & ipsa determinetur per malitiam actionis, non vero per rationes, ob quas malum verum tantummodo repræsentatur tanquam apparens (§. 80.) supponit adeo rectitudo actionis quoad noluntatem actionis in casu dato, cujus patrandæ occasio offertur, notionem sufficienter determinatam, ut qualis sit intelligatur, & judicium verum, quod actio sub hisce determinationibus mala sit (§. 89. 590. *Psychol. empir.*) Notio actionis sufficienter determinata, & judicium verum, quod, cum sic determinata sit, mala sit, ad rectitudinem actionis requiritur ex parte intellectus (§. 80. 72.) Quoniam itaque per ea, quæ ad rectitudinem actionis quoad intellectum requiritur, intelligitur, cur adsint ea, quæ ad eandem requiruntur

quoad noluntatem; in rectitudine actionis continetur ratio rectitudinis noluntatis (§. 56. *Ontol.*) consequenter rectitudo actionis quoad noluntatem a rectitudine ejus quoad intellectum dependet. (§. 851. *Ontol.*)

Propositio hæc maximi momenti in praxi est, siquidem curare velis, ut actiones tuæ sint rectæ. Ex ea igitur suo loco maxime ardua atque utilia deducuntur. Qui hanc dependentiam insuper habent, eorum quoque actiones, quamvis externa specie bonæ, a rectitudine multum abeunt. Patet autem, si eam intimius perspicias, impossibile esse, ut in rectitudine actionis quoad voluntatem vel noluntatem nihil desideretur, quamdiu in rectitudine quoad intellectum adhuc quicquam desideratur. Unde non adeo facile est, quemadmodum multis videtur, curare, ut actiones nostræ omnimodam habeant rectitudinem.

*Post hoc D. Wolffius describit 25. paragraphos de appetibilitate. Deinde alios 253. paragraphos sine ullo ordine scribit de obligatione naturali ac positiva; de ipsa lege: ordine retrogrado; de Jure naturæ; de*

E 2

Hone-

*Honesto; de Per se Bono; de determinatione actionum liberarum per rationes finales; quod nemo hominum habeat jus impediendi alterum, quominus jure suo naturali utatur. De rationibus legum historicis, & naturalibus; Iterum de obligatione legis naturæ ad recte agendum; de Indecoro; de Collisione legum anturatum; quod nemo solus statum suum perficere possit; de officio naturali ac positivo; de Jure perfecto & imperfecto de Injusto & Justo; Legem naturæ subsistere in hypothesei Athei; Legem naturæ innotescere per rationem; de Utilitate legis naturæ; de possibilitate morali; de DEO legis naturæ auctore; de pœnis & præmiis; de obligatione positiva; de malis physicis tanquam pœnis divinis; de pœna naturali & positiva; de Virtute & vitio, qua præditus natura legem servat &c. &c. Post cohortem ducentorum quinquaginta trium paragra-phorum methodo horrorem vel aspectui faciente effusorum tandem reperio iterum aliquid ad*

*nostram rem faciens. Sic habet ex abrupto:*

§. 369.

*Impotentia naturalis vocatur, cui tollenda pro rerum nostrarum statu non sufficimus.*

Ita impotentia naturali tribuitur, quod homo inter ursos educatus, vitamque degens, nullam de DEO ac virtute habuerit cogitationem (§. 220.) Inter ursos enim consequi non potuit, quod nonnisi hominum consortio utentibus consequi datur. Neque enim in eo, quo fuit statum, se ab ignorantia numinis ac virtutis liberare potuit. Unde porro impotentia quoque naturali tribuendum, quod DEUM colere & actiones suas ad normam legis naturæ componere minime potuerit. Naturæ nimirum tribuitur, quod nullo modo à nobis dependet, quemadmodum educatio inter ursos, & ipsorum consuetudo minime dependebat à voluntate ejus, qui fortuna adversa usus tales acceperat educatores vitæque socios. Quamobrem quæcunque agendi impotentia ab hoc statu dependebat, ea pro naturali habenda. Probe autem notanda venit impotentia naturalis notio

notio, ne ad eam referamus, quæ ab eadem minime pendent: quemadmodum haud raro fieri solet ab iis, qui omnem culpam à se amovere student. Ceterum cum nemine litigabimus, qui impotentiam hanc agendi arctioribus limitibus circumscribere voluerit, ut pro naturali non habeatur, nisi quæ in ipsa hominis natura rationem sufficientem agnoscit, qualis e. gr. est impotentia elevandi pondus 100. librarum in eo, qui nonnisi 50. elevare potest; vel impotentia addiscendi Mathesin in eo, qui stupiditate laborat. Utile autem est in moralibus significatum amplificari. Atque id sufficit ut hoc faciamus, ubi veritates inter se connexas proponimus. In constituendo vocabulorum significato etymologiae ut habeatur ratio necesse non est.

§. 370.

*Infirmas naturalis est impotentia naturalis actiones suas juxta legem naturæ dirigendi.*

Istiusmodi infirmitas naturalis erat homini inter ursos educato vitamque degenti quoad omnes omnino actiones. Neque enim fieri poterat, ut in eo, quo vi-

vebat, statu legis naturalis cognitionem sibi acquireret. Is autem summus infirmitatis naturalis gradus est, à quo longo-adhuc intervallo distant, qui inter homines educati eorum consuetudine utuntur. Absit itaque, ut de eodem solo eandem interpreteris. Ne autem infirmitati hominæ tribuas, quæ ab ea minime proficiuntur; vi notionis impotentia naturalis cavetur, quam abunde explicavimus.

§. 371.

*Quæ ex ignorantia invincibili proficiuntur, circa actionum humanarum directionem legi naturæ conformiter determinandam; infirmitati naturali tribuenda.*

Cum enim ignorantia invincibilis à nobis evitari non possit, vel potuerit (§. 28.); quæ ab eadem proficiuntur, ea, quominus fierent, impedire haudquaquam potuimus. Quoniam itaque impotentia naturalis est, quæ pro rerum nostrarum statu tolli à nobis haudquaquam potest (§. 369); impotentia naturali laborat, ea, quæ ab ignorantia invincibili proficiuntur, qui hac laborat. Unde si ex ignorantia invincibili circa actionum humanarum directionem legi naturali

conformiter determinandam quædam proficiscuntur; ea impediendi impotentia naturalis adest. Enimvero impotentia naturalis in directione actionum suarum juxta legem naturæ, tanquam normam, infirmitas naturalis est. (§. 370.) Infirmitati adeo naturali tribuendum, quod circa actionum humanarum legi naturali conformiter instituendam directionem ab ignorantia invincibili proficiscitur.

Quamobrem qui, cum habeant animum actiones suas juxta legem naturæ determinandi, ex ignorantia invincibili eas aliter determinant; ex infirmitate naturali peccant. Præcis temporibus multa legi naturali contraria, ab ea prohibita esse agnitum minime fuit, ut ab iis faciendis nec abhorruerint, qui virtuti alias sedulam navarunt operam. Sed erat illis temporibus ignorantia ista invincibilis, consequenter actiones istæ legi naturæ contrariæ ex infirmitate naturali committentur.

§. 373.

*Quæ ex ignorantia vel errore vincibili circa actionum humanarum directionem proficiscuntur; infirmitati naturali tribui nequeunt.*

Quæ enim ex ignorantia & errore vincibili proficiscuntur, ea à nobis evitari poterant (§. 28. 30.) Quoniam itaque ex impotentia naturali non fiunt (§. 369.) nec infirmitati naturali tribui possunt (§. 370.) Atque adeo patet, quæ circa actionum humanarum directionem ex ignorantia vel errore vincibili proficiscuntur, infirmitati naturali tribui minime posse.

Haud raro homines infirmitatem naturalem accusant, quando ex ignorantia ac errore invincibili peccant. Quamobrem ne prætextu infirmitatis naturalis vel male agamus, vel aliorum malas actiones excusemus; propositio præsens probe notanda venit. Equidem infirmitas naturalis non modo in facultate cognoscitiva, verum etiam in appetitiva locum habet; quatenus tamen ab hac pendet, hic loci commode explicari nequit.

*Post ignorantiam terribili saltu orditur paragraphum 374. de Beatitudine Philosophica seu summo bono, de quo quadraginta tres elumbes paragraphos seminat. Tandem alio saltu retrorsum actus Caput inchoat*  
Quin-

*Quintum de Conscientia, & paragraphis viginti tribus exiliter positus & verbose ostensis ponit hunc*

Sum 440mum

*Peccatum dicitur actio, sive positiva sive privativa fuerit, legi naturæ ac divinæ contraria.*

Nimirum actio dicitur peccatum in relatione ad legem naturæ, quam esse divinam supra ostendimus (§. 277.) & ad divinam positivam, verbo, ad legem, cui respondens obligatio DEUM habet auctorem. Unde, peccatum committitur adversus legem positivam humanam, quatenus ad eam servandam lege naturali vel divina obligamur: id quod suo loco ostendetur, hic tamen præmonendum fuit, ne definitio peccati in abusum trahatur. In genere dici nequit, actionem legi contrariam esse peccatum. Dantur enim leges humanæ, quæ naturali repugnant, ac ideo nullam obligandi vim habent (§. 151.), ut, qui contra eas agit, non peccet, peccet vero qui secundum eandem agit.

§. 441.

*Conscientiosus secundum conscientiam erroneam intuitu legis præ-*

*ceptiva & prohibitive agens, & in genere qui secundum conscientiam erroneam agit, peccat.*

Etenim conscientiosus secundum conscientiam erroneam agens intuitu legis præceptivæ vel prohibitivæ, legem transgreditur (§. 439.) & in genere eodem, quo idem, modo patet, quod legem transgrediatur, qui secundum conscientiam erroneam in dato casu agit. Enimvero qui legem transgreditur actionem suam contraria ratione determinat, quam juxta legem determinari debebat (§. 139.), consequenter cum in doctrina de conscientia, legis naturæ vel divinæ potissimum habeatur ratio (§. 429. 431.), actio ejus legi naturali vel divinæ contraria. Quoniam itaque peccat, qui actionem legi naturali vel divinæ contrariam patrat (§. 440.) conscientiosus secundum conscientiam erroneam agens intuitu legis præceptivæ vel prohibitivæ, & in genere qui secundum conscientiam erroneam agit, peccat.

Apparet adeo, quam sit necesse, si quis à peccato immunem servare velit animum, ut rationem excolat, ne, quæ sint legis naturæ ignoret, & facta rite discernens in applicanda lege naturali à vero minime aberret (§. 431.)  
Omi-

Omittimus hic, ut in aliis, quæ ex Scriptura Sacra docent Theologi. Philosophi enim non est committere *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*, ac importunè seseingere iis, quæ lumini rationis impervia sunt. Ubi Philosophus desinit, ibi incipit Theologus, superaddens ea, quæ in Philosophia desiderantur. Discrimen hoc inculcat D. Thomas I. II. Quæst. LXXI. Art. VI. Conclus. VI. dicens: peccata à Theologis considerari ut offensa DEI, à Philosopho ut sunt contra rationem: qui idem loc. cit. concl. I. ex Augustino definit peccatum per dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.

## §. 442.

*Peccatum contrariatur rationi.* Contrariatur enim legi naturæ (§. 440.) Enimvero cum lex naturæ per rationem nobis innotescat (§. 259.); quod illi contrariatur, huic etiam contrarium est. Peccatum igitur rationi contrariatur.

Nimirum unum idemque est, five dicas peccatum esse contra legem naturæ, five contra rationem. Philosophus ex principiis rationis demonstrat, quænam

actiones sint legis naturalis, consequenter quænam rationi conformes, quænam eidem difformes seu contrariæ. Et hinc patet, cur D. Thomas dixerit, Philosophum considerare peccata ut sunt contra rationem.

## §. 443.

*Peccatum contrariatur voluntati divinæ.* Contrariatur enim legi naturæ (§. 440.) Enimvero quoniam lex naturæ voluntati divinæ conveniens (§. 284.); quod illi contrariatur, huic quoque contrarium est. Peccatum igitur voluntati divinæ contrarium est.

Nimirum unum idemque est, five dicas peccatum esse contra legem naturæ, five contra voluntatem divinam, nisi quod voluntas divina latius pateat, quatenus etiam complectitur voluntatem revelatam, Philosopho qua tali ignotam. Unde quæ à voluntate revelata pendent, ea explicare Theologorum est.

## §. 444.

*Volitio peccati peccatum est, seu peccare velle peccatum est.* Etenim qui vult peccatum, vult actionem legi naturali vel divinæ con-

contrariam (§. 440.) Lex nos obligat ad committendas vel omittendas actiones (§. 152.), consequenter cum actionem, quæ committenda, committere velimus, & eam, quæ omittenda, omittere velimus, necesse sit quod per se patet, etiam nos obligat ad volendum actionum commissionem vel omissionem. Quoniam itaque volitio actionis legi contrariæ, eidem contrariatur, actio autem legi contraria peccatum est (§. 440.); volitio etiam actionis legi contrariæ, adeoque peccati, peccatum est, consequenter peccare velle peccatum est.

Nemo miretur, quod volitionem actionis legi contrariæ peccatum dicamus; etenim peccatum primario inhæret voluntati, nec imputatur peccatum homini, nisi quatenus à libera voluntate proficiscitur, quemadmodum deinceps videbimus. Unde homicidium non imputatur furioso, qui rationis usu destitutus non libere agit, sed brutorum instar appetitu sensitivo impellitur ad actiones suas. Lex naturæ nos obligat ad actionum rectitudinem (§. 189.) In rectitudine actionis ratio etiam habenda est actus volitionis (§. 73.) Unde si actio legi contraria esse non debet, nec

actus volitionis eidem contrarietur necesse est.

*Nisi fœde decipior, existimo, lectorem prudentiæ ac Juris amantem jam diu vix stomachum continere, atque ut finem denique spectent mæandri, à me postulare. Huic ego repono, alterum tantum eorum, quæ adhuc exscripsi, superesse rescribendum, donec tandem ad nihil perveniatur. Ad nihil ajo unde propositam initio questionem discriminare valeas, & in lucem D. Thomæ vel parum similem ponere. Ergo ne jam te penitus enecem nudos deinceps paragraphos exscribam, omissis demonstrationibus & commentariis, quos steriles plerumque esse, ipse hætenus agnoveris. Jam ad rem.*

## §. 445.

Qui actionem legi naturæ vel divinæ contrariam judicat, quæ eidem convenit, vel saltem non repugnat, & hoc non obitante eandem committit; peccat.

## §. 446.

*Qui contra conscientiam erroneam agit, peccat.*

F

## §. 447.

## §. 447.

Qui conscientia dubia agit, periculo legem transgrediendi se committit.

## §. 452.

Conscientia supponit rationem, nec actus ejus elicitur nisi usu rationis &c.

## §. 458.

Si demonstrari potest nostrum de actione omittenda vel committenda iudicium, conscientiam rectam habemus.

## §. 459.

Conscientia certa acquiritur vi demonstrationis.

## §. 462.

Si conscientia antecedens fuerit recta & certa, consequens cum eadem eadem est.

## §. 463.

Quando conscientiam consequentem cum antecedente eandem experimur, nos excusare dicitur, ut adeo *Excusatio conscientie* sit identitas conscientie antecedentis & consequentis.

## §. 464.

Si secundum conscientiam rectam atque certam agimus; conscientia nos excusat.

## §. 465.

Si actione perpetrata demonstrare valeamus, actionem, quam commissimus, fuisse committendam, quam vero omisimus, omittendam; conscientia nos omnium maxime excusat.

## §. 466.

Si conscientia antecedens fuerit probabilis, nec certa obtineri potuerit, actione autem perpetrata innotescat, quod fuerit erronea, adhuc tamen constet, quod in necessitate agendi constituti, secuti fuerimus partem probabiliorem; conscientia adhuc nos excusat in tantum, quantum infirmitas humana admittit. Etenim etsi perpetrata actione constet, quod falsum fuerit de actione patranda iudicium, quoniam tamen nobis impossibile fuit ad veritatem liquidam pertingere & actione perpetrata per ea, quae nobis, ante quam patraretur, innotuere, adhuc iudicamus, quod probabilius fuerit nostrum de actione patranda iudicium, quam eidem oppositum: conscientia consequens eadem est cum antecedente, quatenus de probabilitate antecedentis quaestio est. Quamobrem cum conscientia nostra nos excuset, si consequens cum

cum antecedente eadem (§. 463.); adhuc nos excusat. Enimvero infirmitati naturali tribuendum, quod in necessitate agendi constituti eligere tenebamur, quod videbatur probabilius (§. 370.) Conscientia igitur nos excusat, in quantum infirmitas humana admittit.

Nimirum impossibile est, ut quod videtur probabilius, semper sit verum. Quamobrem nec fieri potest, ut secundum conscientiam probabilem agens nunquam contra naturae legem agat. Quamvis itaque peccatum committat (§. 440.), excusatus tamen peccat, in quantum scilicet infirmitas humana excusat. Non tamen hinc sequitur, conscientiam intemeratam servaturum in probabili acquiescere posse, nec opus esse ut de certa multum sit sollicitus: etenim si certam conscientiam consequi potuerit, infirmitati humanae tribui amplius nequit, quod contra legem fecerit, consequenter nec excusabit eum amplius conscientia.

## §. 472.

Si conscientia consequens fuerit contraria antecedenti, ita ut, quam bonam & ideo committendam iudicaveramus actionem,

nunc malam & omittendam fuisse iudicemus, & quam malam ac ideo omittendam iudicaveramus, eam nunc bonam & committendam fuisse iudicemus; conscientia nos accusare dicitur. *Accusatio* itaque conscientiae est diversitas conscientiae antecedentis & consequentis.

## §. 473.

Qui secundum conscientiam rectam & certam agit, eum conscientia non accusat.

## §. 474.

Si qui secundum conscientiam erroneam agunt, accusatio conscientiae metuenda est: accusat autem, si experiuntur mala ex actione necessario consequentia.

## §. 475.

Si quaecunque de causa contingat eum, qui secundum conscientiam erroneam egit, errorem suum agnoscere; conscientia eum actu accusabit.

*Omitto quinquaginta paragraphos de conscientiae accusatione & somno, qui secundum bonam methodum quinque mediocribus absolvi poterant. At nunc demum gelidus mihi sudor,*

*in artus, cum operis Wolffiani caput VI. atque ultimum indagine quadam excutiendum offertur. Solum quippe paragraphis ducentis omnino supra quinquaginta novem vix tandem absolvitur. Væ misero! Sed ordiamur.*

## §. 526.

*Causa libera dicitur, quæ libere agit, sive actio fuerit positiva, sive privativa.*

*Cor non movetur libere sed necessario: unde nec causa libera est motus sanguinis &c.*

## §. 527.

*Imputatio actionis, sive positivæ sive privativæ, dicitur iudicium, quo agens declaratur causa libera ejus, quod ex actione ipsius consequitur, boni malique vel sibi vel aliis.*

*Sequitur commentarius bicubitalis.*

## §. 528.

*Imputari nequeunt actiones nisi liberæ.*

## §. 532.

*Actiones homini imputantur quatenus liberæ sunt.*

## §. 533.

*Imputativitas actionis est dependentia à libertate animæ in volendo & nolendo.*

## §. 534.

*Si actiones, quæ in se spectatæ naturales sunt, quomodocunque à libertate hominis dependent; eadem homini imputari possunt.*

## §. 549.

*Ignorantia vincibilis in casu singulari imputanda est.*

## §. 550.

*Ignorantia invincibilis imputari nequit.*

## §. 553.

*Actiones tam privativæ, quam positivæ, ex ignorantia & errore vincibili profluentes imputantur homini.*

## §. 554.

*Actiones tam privativæ, quam positivæ ex ignorantia & errore invincibili provenientes imputari nequeunt.*

## §. 566.

*Qui rationis usu destituuntur, iis actiones imputari nequeunt.*

## §. 567.

## §. 567.

*Infantibus & furiosis actiones suæ imputari nequeunt.*

## §. 578.

*Si anima in somnio operationes intellectus edere potest, veluti judicare & ratiocinari; actiones, quas per somnium agere sibi videtur, vel revera agit, imputari possunt.*

*Post paragraphos centum ac tredecim sequitur.*

## §. 691.

*Actiones agenti imputantur quoad rectitudinem, seu quatenus rectæ sunt, aut à rectitudine deficiunt, ubi penes nos stetit, ne ab eadem deficerent.*

## §. 692.

*Defectus rectitudinis actionis dicitur vincibilis, si eum evitare potuisses, modo voluisses. Idem vero invincibilis appellatur, ubi penes te non stetit, ut eum evitares.*

## §. 693.

*Defectus rectitudinis invincibilis imputari nequit: vincibilis vero in casu singulari imputatur.*

## §. 694.

*Quo facilius evitari poteris defectum rectitudinis, eo magis tibi imputabitur: quo autem difficilius eundem evitari poteris, eo minus imputabitur.*

## §. 695.

*Defectus rectitudinis facile vincibilis magis imputatur, quam difficilius vincibilis.*

## §. 696.

*Defectus rectitudinis actionis vincibilis dicitur in genere culpa.*

## §. 698.

*Actio recta est inculpabilis.*

## §. 700.

*Culpa in genere sic dicta agenti imputatur.*

## §. 717.

*Culpa in specie dicitur defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis.*

## §. 718.

*Actio culposa dicitur, quam agens culpa sua committit, sive ea positiva fuerit sive privativa.*

## §. 722.

*Culpa in specie sic dicta agenti imputatur.*

## §. 723.

Actio culpofa mala est.

## §. 728.

Judicium de actionis culpofa malitia deficit, fi aut agens non habet actionis fuæ notionem fufficienter determinatam, aut deest ipfi principium, vi cujus judicare poterat, iftiusmodi actionem effe malam, feu malum ejusmodi ex ea resultaturum, aut resultare poffe, aut neutrum obtinet.

## §. 729.

Judicium culpoſe agentis falſum eſt, vel ſi notio actionis non fuerit fufficienter, aut non rite determinata, vel ſi principium, quo in dijudicanda actione, quoad malum inde resultaturum, utitur, fuerit falſum.

## §. 732.

Actio culpofa committitur nec à ſciente nec à volente.

## §. 733.

Quidquid facultatum noſtrarum uſu impediri poteſt; illud nobis evitabile eſt: quod vero earundem uſu, quo minus fiat, impediri nequit; id evitabile nobis non eſt.

## §. 735.

Si uſu facultatum noſtrarum impedire potuiſſemus, quo minus ignorantia laboraremus, ignorantia vincibilis eſt.

## §. 736.

Ignorantia vincibilis non uſui facultatum noſtrarum tribuenda, præfertim cognofcendi.

## §. 738.

Si occaſio utendi facultatibus noſtris deficit; quod iis non utamur, ad impotentiam utendi referendum.

## §. 739.

Ignorantia invincibilis impotentia utendi facultatibus noſtris, præfertim cognofcendi, tribuenda.

*Sed jam tempus equum ſpumantia ſolvere fræna. Jam ſede lector & juſtum judicium fer. Siquid hic conſcriptum vides, quod ad peccatum ignorantia rite dijudicandum valet, non methodo Wolffiana id debes, ſed improbo meo labori, qui ex tetra propoſitionum identica-*

ticarum ſylva, decurſo à capite ad calcem Wolffiano libro, ſuſtinerim corradere, atque ab impertinentibus liberare & expedire, quod ad rem aliquo modo eſſet. Absque hoc labore meo, tu ipſe *Questionem hanc in Wolffio indagaturus omne tandem devorandum habuiſſes. I! jam & methodum Wolffianam ſcientificam crede, ac facilem, claram, certam dic.*



## Secunda Probatio.

Methodum Wolffii eſſe difficilem, ſumpta à VERBOSITATE.

1. **E**quidem hujus rei probatio redibit infra, ubi oſtendemus, D. Wolffii modum tractandi ideo non mereri nomen *Methodi*, quia non eſt *Compendium*, ſed per ambages inutiles abit.

2. Impreſentiarum autem exhibebimus obvium verboſitatis exemplum, poſt illud, quod M. R. P. Daniel *Concina* Dominicanus doctiſſimus nuper edidit Tomo VI. *Theologiæ Chriſtianæ* in Diſſertatione *Prolegomena* Cap. VI. §. X. Fol. 55. Excerptit illud *Concina* ex Tomo III. Wolffii de *Jure Naturæ* Cap. II. in quo idem Wolffius de *Veriloquio* & *falſiloquio* centum ſupra ſexaginta & unam propoſitiones de eadem re ſeminat, ſingulasque prolixis & verboſis commentariis propriis obruit, ut tandem evincat *mendacium* eſſe licitum ob publicam neceſſitatem. Sunt autem inter illas propoſitiones etiam ſequentes, nempe (§. 148.) *Qui ab aliis vult intelligi, vocabalis uti debet, prout fert uſus loquendi.* Ad quam pueris notam propoſitionem demonſtrandam remittit te ad ſeptem omnino paragraphos diverſarum ſcientiarum, *Logicæ* nimirum, *Pſychologiæ empiricæ*, *Philoſophiæ practicæ*, & *Juris naturæ*. Tum ſubdit ſtatim (§. 149.) *Quoniam, qui ab aliis vult intelligi, vocabulis uti debet, prout fert uſus loquendi.* Quam propoſitionem à priori nihil differentem alio